Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 113

Quelle:
Copyright:

IV. *fol.* 229. eodem modo *Ezechiel*, nisi quod a C. XXXVI. v. 22. ab ipso Prophetae textu manum abstinuerit Librarius, relictoque spatio solam *Lyrani* circumdederit interpretationem.

In exteriore Theca deprehensus est fugientibus ductibus: *M. Conradus Salter*, quem eundem puto cum *Conr. Salder de Rotnacker*, quem ab a. 1449. ter Decanatu Philosophico functum tradit *Locheri Speculum Acad.* An vero is Commentaria haec Auditoribus praelegerit, an solum possederit, in incerto est.

LXXV.

R. 907 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 208. f. per columnas jam plures, jam pauciores luculente et eleganter exaratus, coloribus distinctus, quondamque Collegii S. J. *Viennae* continet I. *Prophetiam Ezechielis* cum Glossa ordinaria, interlineari, et Postillis *Nic. de Lyra*, quibus sacer Textus diversimode aut circumdatur, aut stipatur pro lectorum nempe commodo. Adest *Praefatio Hieronymi*, cui mox adjungitur prolixus locus *Gregorii M.* de triplici Tempore Prophetiae ex *Homil. I. in Ezech.* atque ita per decursum etiam interpres iste in subsidium vocatur.

II. *fol.* 154. Succedit eodem modo adornata *Prophetia Danielis.* A *Cap.* XIII. sive *Susannae* Historia sensim deficiunt Glossatores, et *Cap.* XIV. ad v. 17. ultimus expirat Interlinearis in verba: *Rex exclamauit uoce magna*, ita commentans: *Videtur hic falli* (quis? an Daniel?) *quod solet dici, magnam uocem non esse nisi in sanctis tantum; sed hec pericope apud grecos non est.* Non certe apud LXX. Verum, an non meminit *Hieronymi* ad finem *Cap.* XII. notantis: *Cetera quae sequuntur usque in finem Libri, de Theodotionis editione translata sunt?* Ibi enimvero legitur: ὁ βασιλευς ἐβοησεν φωνῃ μεγαλῃ. Ceterum si Codex hic elegans olim pars fuit, ut videtur, universi Operis biblici glossati, dolendum sane est, partes distractas fuisse.

LXXVI.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3171 XIV. Folior. 134. f. columnis binis, ternisve nitide exaratus, coloribusque speciosus complectitur XII. *Prophetas Minores* ab *Osea* ad *Malachiam* Praefationibus et Argumentis solitis praemissis, et utraque *Glossa* tam ad margines, quam inter lineas adstituta, unde duplex character: major Textus, minor των Παρεργων. In ora infera *fol.* 2. ab alia manu notatur: *Expositores hujus libri Apollinaris Laodicensis, Origenes, Pierius, Eusebius Caesariensis, Didymus, Hieronymus*, quorum 1. et 3. non nisi ab *Hieronymo* commemorati.

LXXVII.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3308 primum XIII. dein VIII. Folior. nunc 179. f. utrobique eleganter exara-